



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

Irragularitas contracta medendo, aut chirurgiam exercendo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**

cedens ad bellum, sine animo pugnandi, si occidat inimicum ad sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ. *punct. 4. num. 1. & 2.*

85. Quando diviso exercitu in duas partes, una pars occidit altera verò non occidit, milites illius tantummodo partis que occidit, sunt irregulares *Ibid. num. 3.*

86. Consulens alicui Principi bellum justum contra alium non est irregularis, sicut nec ille qui hortatur alterum ad vitam effundendam pro fide Christi, vel pro tuenda Republica. *Ibid. n. 4. & 5.*

87. Tam clerici quàm laici possunt interesse bello justo absque irregularitate, etiam si hortentur milites, ut suo fungantur munere, vel illos hortentur in genere ad pugnandum, ad fortiter se gerendum, ad vincendum, ad fidem tuendam, ad patriam defendendam. *Ibid. num. 7.*

88. Præbens seu vendens arma in bello justo, non est irregularis, etiam si arma sint offensiva, *cap. petito tua.* modo non præbeat arma ad occidendum hunc vel illum in particulari. *Ibid. num. 9.*

89. Clericus propriis manibus pugnans de licentia Summi Pontificis, non videtur subjacere irregularitati. *Ibid. n. 12.*

90. Solus Summus Pontifex potest de jure communi dispensare in irregularitate contracta causa belli. *Ibid. n. 13.*

*Irregularitas contracta medendo, aut chirurgiam exercendo.*

91. Laicus exercens chirurgiam vel medicinam secundum regulam artis, non fit irregularis, etiam si membrum aliquod abscindat causa sanitatis; secus dicendum si ejus culpa ægrotus interit. *Ibid. punct. 5. n. 1.*

92. Clericus etiam beneficiarius exercens officium medici vel chirurgi secundum regulam artis, seclusa adulatione vel incisione, non est irregularis, etiam si mors sequatur. Adde clericum majoribus ordinibus initiatum non peccare, nec affici irregularitate, incidendo vel adurendo urgente necessitate, e.g. tempore pestis, quando non adest alius qui id præstet. Item adjuvans chirurgiam ad justè abscindendum membrum alicujus ægroti infectum, non incurrit irregularitatem. *Ibid. n. 4. & 5.*